

Si quid autem pro meritis potioribus sanctae humilitati cordis tui dominus melius reuelauit siue reuelauerit, peto nobiscum comunicare digneris, & haec nostra rescripta sic accipere, tanquam hominis, qui mallem quidem eorum quae a me inquisisti habere scientiam, quam ignorantiam, quia id nondum potui, magis eligo tantam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri.

Hesychius Augustino, docens diem supremum inquirendum esse. Epist. LXXIX

DO MINO beatissimo & charitate sincerissima uenerando fratri & coepiscopo Augustino, Hesychius in domino salutem. Desideranti & expectanti mihi sanctus copresbyter noster Cornutus litteras pertulit tuas, quae me laetifica ruit, quia memoriam nostri bonam habere dignatus es, qui & mihi paucis sermonem proprio sanctae metis tuae de his quae petieram in transitu significasti. Aliquanta autem de opusculis sancti copresbyteri Hieronymi adiuxisti, ut meam quæstionem lectio eius operis de sanctis scripturis explere possem. Et quia dignatus es id petere a nobis, ut quid sentimus de ipsis quæstiōibus, per litteras tuae sincerissimæ charitati insinuaremus, ad ea de quibus scripta legi, prout intellectus exiguus meæ mediocritatis sentire potuit aut intelligere, infra scripsi. Cum dei omnipotētis conditoris totius creaturæ arbitrio & potestate cuncta gerantur, uel quae facta sunt, uel quae etiam futura sunt, sanctorū prophetarum uocibus cognoscuntur, qui priusque fierent ea quae futura erant, uoluntate diuina hominibus sunt locuti. Unde satis admiratio plenum est, si ea deus, quae prædici uoluit, ad hominum sensus penitus non posse peruenire constituit, secundum hoc capitulum, quod dominus beatis apostolis locutus est, dicens: Nemo potest cognoscere tempora, quae pater posuit in sua potestate. Primum quia in antiquissimis libris ecclesiasticis non ita scriptum est, Nemo potest, sed scriptum est, Non est uestrum nosse tempora uel momēta, quae pater posuit in sua potestate. Quae ratio sermōis sequenti uerbo recte cōpletur, cum dicit: Sed eritis mihi testes in Hierusalem, & in Iudea, & in Samaria, & usque ad ultimum terræ. Non ergo apostolos testes consummationis mundi, sed nominis & resurrectionis suae uoluit intelligi. Nam de temporibus cognoscēdis ipse dominus monet: Quis nam est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Sanctus ille seruus, quem ueniens dominus eius inuenit sic facientem. Familia Christi uerbo prædicationis pascitur, & fidelis famulus inuenitur, qui in tempore expectatibus dominum, necessariam escam credentibus præstat. Malus enim seruus sic reprehenditur: Quod si dixerit malus seruus, moram facit dominus meus uenire, ueniet dominus eius in die qua nescit, & hora qua ignorat, & reliqua. Itē arguit quare tempus non agnoscatur, dicendo: Hypocrita, faciem cœli nostis probare, tempus hoc quare non

1. Timoth. 3 agnoscitis? Item Apostolus: In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & reliqua.

1. Thes. 5. Item Apostolus: De temporibus autem & momentis non esse habemus uobis scribere, Vos enim ipsis diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Cum enim dixerint,

pax & securitas, tunc subitaneus illis apparebit interitus, quomodo dolores parturientis, &

2. Thessal. 2. non effugiēt. Item Apostolus: Non retinetis memoria, quia cum essem apud uos, haec dicebam uobis, & nunc quid detineat scitis, ut reueletur in suo tempore. Nam mysterium iniquitatis iam operatur tempore, ut qui tenet modo teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille

Luke 19 iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Item dominus in euāgelio increpat Iudeos: Et tu si cognouisses tempus uisitatiōis tuae, forsitan permansisses, nunc autē abscondebitur ab oculis tuis. Et dominus sic prædicat ad Iudeos: Pœnitentiam agite, completa

sunt tempora, credite euāgelio. Et ad Iudeos quidem recte completa dicebat, quia eorum tempora post eius prædicationem & triginta & quinq̄ uel quadraginta annos finita sunt. Et

Dan. 7 in Daniele: Quoadusque intersecta est bestia, perijt, & corpus eius datum est ut comburatur, & reliquarum bestiarum regnum translatum est: & magnitudo uitæ data est eis usque ad tem-

pus & tempus, quod græce dicitur ἡ χρόνος της καταστάσεως. Et insequitur: Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis ueniens. Mysterium bestiae est reliquarum bestiarum translatio, intelligentibus scripturā manifestum est. Aduetus domini diligēdus est & expectandus. Est etiam magna